

XLIV. Reventes (Adelelmus).

Natus Vilafrancae de Panadès in dioecesi Barcinonensi anno 1654 Reventès Regulam S. Benedicti professus est in anno 1681 apud Montem Serratam, ibique diem obiit supremum in anno quinquagesimo septimo suae professionis. Annalibus sui Monasterii apprime studuit, ut probant scripta, quae reliquit nempe:

1. Breve historia de la montaña y Santuario de Nuestra Señora de Montserrat, 1 in 8^o.

2. Historia de los antiguos Priores y Abades que ha tenido el monasterio de Montserrat, 1 in 4^o.

3. De los Bichhechores del real monasterio de Montserrat.

His dictis de aliquot e Benedictina familia alumnis a R. P. Ziegelbauer oscitantia aliisve de causis praetermissis, nunc de iis, qui post dies ejusdem Bibliographi vixerunt, agetur scriptoribus. Quorum in numero computari debere putamus non solum Benedictinos, qui vere scriptis suis nomen suum illustrarunt, ac litteris tum sacris tum profanis plus minusve profuerunt, sed etiam eos qui ad episcopalem gradum sunt eveci. Et jure merito siquidem ad talem ac tantam dignitatem promoveri non potuerunt, quin sapientiae et scientiae laude prius claruerint, et aliunde post hanc eversionem pluries epistolas ad clerum et populum direxerunt, typisque mandarunt.

(Continuatur.)

Correspondenzen des Königs und Kaisers Ferdinand I

in kirchlichen Angelegenheiten aus der Zeit von 1546—1559.

Mitgetheilt von Sebastian Brunner.

(Fortsetzung zu Jahrg. V. Heft 1, S. 199—208.)

V. Ferdinand trägt dem Cardinal auf, im Verein mit dem ständigen Gesandten in Rom den Papst um Hilfeleistung für den nahe bevorstehenden Türkenkrieg zu bitten.

Instructio pro Cardinale Tridentino
ad Pontificem in causa subsidij de
2. Octobris 1551.

Ferdinandus etc.!

Instructio earum rerum, quas Reverendissimus in Christo pater, Dominus Christophorus Sanctae Romanae Ecclesiae tituli Sancti Caesarei in Palatio Presbijter Cardinalis Episcopus Tridentinus et Administrator Brixiniensis, Amicus Princeps et Consiliarius noster charissimus apud Sanctissimum in Christo patrem et Dominum Dominum Julium III. Divina providentia Sacro-Sanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Summum Pontificem Dominum nostrum reverendissimum nomine nostro reverenter diligenterque proponere agere tractare ac petere et requirere debet.

Inprimis Sanctitati ejus debitam obedientiam filialemque observantiam nostram ostendat, et subsequenter presentatis litteris nostris creditiſijs exponat, nos minime dubitare ad Sanctitatis suae indubiam notitiam ex aliorum tum sermone tum litteris iam pridem pervenisse, Quomodo Princeps Turcarum Christiani nominis, fidei, et religionis hostis, varijs practicis et astutijs, sub induciarum tempore, quas novissime nobiscum susceperat, illam nobilem Christianitatis Provintiam Transsijlvaniam potestati suae subijcere conatus sit, Et quod ob eam causam anno ab hinc tertio Bassam suum Budensem cum certo gentium et copiarum numero hoc praetextu in ipsam usque Transsijlvaniam miserat, ac si Serenissimae Dominae Reginae Isabellae Serenissimi quondam Regis Joannis relictæ Viduae opem ferre vellet, Quamvis autem illud suum institutum minime ex voto ei successisset, sed ipse Bassa Budensis etiam damno accepto pedem referre et retrocedere opera et industria Episcopi Waradiensis coactus fuisset, Cum tamen postea non destitisset, alijs vijs et modis se in dictam Provintiam intrudere. Quare (memoratus) quondam Episcopus Waradiensis a nobis humiliter petierat, ut Principem Turcarum in eo praeveniremus et cum Regina eiusque illustri filio Duce Johanne et Petro Petrowijth Comite Themesiensi amicabilem transactionem et concordiam susceperemus. Cum igitur perpendissemus, si impeditis huiusmodi Principis Turcarum conatibus et institutis tam insignem et locorum natura munitam Christianitatis Provintiam penes Christianitatem retineremus et conservaremus, quod id magnam securitatem magnaſque commoda et beneficia, e converso, si id ipsum omitteremus, non nisi gravissima irreparabiliaſque damna iacturas et incommoda non solum nostris, et alijs circumvicinis Regnis et dominijs, sed universae etiam Christianae Reipublicae allaturum esset, missis praeterea et expeditis in ipsam Transsijlvanensem Provintiam nonnullis copijs nostris in bono numero tam equestribus quam pedestribus amicabilis compositionis et concordiae cum Regina eiusque filio et Petro Petrowijth ineundae tractationem a nobis susceptam, et tandem divina propiciante gratia rem eo deductam esse, quod tota Transsijlvania una cum inferioribus Regni partibus sine bello et sine sanguinis effusione sese ultro benevolèque nobis nostroque imperio subdiderit. Qua de re Domino Deo optimo maximo summas agimus gratias, Principem vero Turcarum non solum per illos suos milites quos in confinibus habet, excurrendo, predando, comburendo et Christianos in captivitatem abducendo Inducias violari fecisse verum etiam Beglerbegum . . . non parvo cum Exercitu ad partes dicti Regni inferiores versus Transsijlvaniam misisse qui nonnullas Arces nobis extorserit ulterius quoque prorumpere conetur. Licet autem nos quoque possibiles ei resistendi provisiones et apparatus fecerimus, et ingentes ob id sumptus subierimus, et nunc quoque

sustinere cogamur, ut tam nobilis et insignis Provincia tanquam Regni nostri Hungariae membrum, in beneficium etiam totius Christianitatis defendi et conservari a majoribusque periculis liberari possit. Cum tamem ex omnibus explorationibus quae ad nos multipliciter perferuntur intelligatur, ipsum Principem Turcarum cum dicto suo contra Transsylvaniam misso Exercitu, et reliquis suis in his confinijis existentibus copijs non solum hoc Anno Regnum nostrum Hungariae et Provinciam Transsylvaniam oppugnaturum, quemadmodum iam, sicuti superius diximus, omne hostilitatis genus in omnibus Confiniorum nostrorum partibus exercendo, magna damna intulerit, Verum etiam anno futuro adhuc maioribus viribus exercitibusque tam contra praedictum quam alia Regna et dominia nostra in propria persona in expeditionem exiturum, et pro sua tyrannica libidine acrius quam unquam antea ipsa Regna et Dominia nostra invasurum esse; nobis vero (sicuti Sanctitas sua et quivis alius facile consyderare queat) ac Regnis et Dominijs nostris solis, utpote diuturnis superioribus bellis admodum iam exhaustis et attritis, huic immanissimo potentissimoque hosti resistere nequaquam possibile sit, sed summa urgentissima et inevitabilis necessitas, quae iam prae oculis versetur, exposcat, ut non solum Principes Status et ordines Sacri Romani Imperij qui quidem nobis in Comitijis praeteritis Augustae Vindelicorum celebratis ad imminentem necessitatem subsidium communis nummi contributione iam decrevissent sed et praesertim Sanctitas sua aliique Christiani Principes et Potentatus nobis validas suppetias ferant, unanimiterque nobis praesto sint. Quemadmodum nos omnium maxime de Sanctitate sua, tanquam communi Christianitatis patre plane indubitanterque speremus et confidamus. Nam licet quidem consideravissemus Sanctitatem suam a sui Pontificatus initio magnos sumptus fecisse, et non parva etiam nunc belli onera sustinere, et propterea libenter suam Sanctitatem interpellare praetermissemus, tamen periculorum et necessitatis magnitudine, nos impulsos fuisse, ut Sanctitatem ejus inprimis et ante omnia implorandam esse duxerimus. Et proinde nos ab eius Sanctitatis maiori quo possumus studio petere et Sanctitas sua etiam hac in parte nostrum et Republicae Christianae beneficium salutem et conservationem benigne paterneque perpendere et consyderare, et tanquam Supremum Christiani orbis caput nobis tale tamque validum et efficax subsidium contra dictum immanissimum et potentissimum Christianae fidei et religionis perpetuum et haereditarium hostem, decernere atque prestare dignetur, ut etiam alij Christiani Principes et Potentatus, quos similiter pro ferendo nobis subsidio requirere necessario statuissimus ad conferenda et ipsi eo validiora firmioraque subsidia exemplo Sanctitatis suae alliciantur et excitentur atque adeo nos ferendo sustinendoque hoc praesenti gravissimorum immensorumque sumptuum oneri eo

melius sufficere et ad proxime futurum annum tanto instructiores nos reddere, et divino auxilio mediante huic potentissimo hosti resistere valeamus. Qua quidem in re Eius Sanctitas suum proprium et peculiare, id est laudatissimum et sanctissimum, et non solum nobis ac Regnis et Dominijs nostris, verum etiam toti Reipublicae Christianae salutiferum opus faciet. Quod quidem nos una cum ipsis Regnis et Dominijs nostris cum summa gratitudine, summis studijs et conatibus promereri operam daturi simus.

Quidquid igitur praefatus Reverendissimus Dominus Cardinalis¹⁾ Amicus et Princeps noster charissimus, in hoc nostro imo totius Christianitatis negotio apud praefatum Sanctissimum Dominum Nostrum hortando instando monendo et urgendo se in beneficium Regnorum Dominiorem et Proventiarum nostrarum efficere posse existimaverit, non dubitamus Dominationem suam Reverendissimam²⁾ in eo nulli studio curae labori aut diligentiae parsuram³⁾ sed tam praemissis quam alijs causis et rationibus quas tanquam aptas et convenientes pro rebus natis et occurrentibus proponendas censuerit ita prudenter dextre et fructuose huiusmodi negotium tractaturam esse, ut non tantum singularem de Dominatione sua Reverendissima satisfactionem habituri, sed id quoque nobis plurimum profuisse sensurissimus, quod per Dominationem suam Reverendissimam apud praefatum Sanctissimum Dominum Nostrum hanc propositionem et petitionem nostram fecerimus.⁴⁾

Cum autem habeamus continuum apud Sanctam istam Sedem apostolicam Nuncium Honorabilem videlicet ac nobilem fidelem nobis diletum Don Didacum Lasso de Castiglia Consiliarium nostrum a praefato Reverendissimo Domino Cardinale, amice et benevole requirimus ut ipsum Nuncium nostrum in praemissis proponendis sibi adiungere velit, quo postea eo melius, quae per Dominationem suam Reverendissimam obtenta fuerint sollicitare sciat et valeat.

In quibus omnibus Dominatio sua Reverendissima rem nobis gratissimam faciet quam regia nostra erga eandem gratia et benevolentia recognoscere et compensare nunquam immemores erimus. Datum Viennae die Secunda Mensis Octobris 1551.

(Continuabitur.)

1) In margine: Consiliarij Commissarij et Oratores nostri.

2) I. m.: illos.

3) I. m.: parsuros.

4) in margine: ipsis Commissarijs et Oratoribus nostris satisfactionem habituri simus, id quoque erga illos singulari gratia recognoscere.